

contrariam sententiam expressè teneant; opponeretur ipsis Stylus Curie, atque autoritas Doctorum, & in materia Concordatorum Germanie Præbitorum Virorum Romæ degentium, & pro hac posteriori sententia stantium, juxta dicendam n. 432. ubi simul adducitur Declaratio Gregorii Papæ XIII.

431 Neque urget ratio num. 428. in contrarium allata: negatur enim minor. Ad cujus probationem, seu quod collatio invalida, & nulla (seu non facta) æquiparentur; & quod collatio invalida, habeatur pro infecta, cum similibus: respondetur, hujusmodi Axiomata non procedere universaliter, seu plures pati limitationes, atque instantias. Sic tripliciter, ubi electio ad Beneficium vacans intra trimestre, vel respectivè semestre, nulla sit, devolvitur potestas eligendi ad Superiorem, c. Ne pro defectu. 41. de Election. & c. Nulla. 2. de Concession. Præbend. cum similibus: Secus: si electio fiat, sed invalidè ob occultum vitium, tunc enim habebunt Electores novum tempus ad eligendum, text. clar. c. Si electio. 26. de Election. in 6. Similiter, quando nulla præcessit electio, liberè potest celebrari electio: secus, quando facta est electio, sed talis, de cujus valore dubitatur; tunc enim non valet posterior electio celebrata ex intervallo, etiam si prior postmodum declaratur fuisse irrita, & invalida, c. Auditis. 29. junctâ Glossâ v. Irritandum. de Election. Uterius matrimonium inter consanguineos, vel voto solemnî Castitatis adstrictos scienter contractum, est nulliter ac invalidè, ipso facto inducit excommunicationem, Clem. un. de Consanguinit. & affinit. Secus, si non fiat tale matrimonium. Idemque dicendum de pluribus aliis casibus, in quibus factum invalidè, neutiquam æquiparatur non factò; & res invalidè gesta, non habetur pro re infecta, imò varias inducit poenas, vel inhabilitates, aut alios effectus, v. g. Affectionem beneficij, loquendo quoad casum propositum.

Itaque in forma respondendo ad allata Axiomata, opus est distinctione. Quia vel omnimoda paritas intervenit in non factò, & in nulliter seu invalidè factò; procedunt præfata Axiomata: vel diversa militat ratio in uno, aut altero eorum; & non habent locum. Card. de Luca Litt. P. Concl. 87. n. 14. post Castrensem Consil. 161. lib. 1. & alii. Atque, quantum attinet ad propositum, diversissima ratio militat inter casum, quo non apparet infra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij, quod alicui de illo Apostolicâ auctoritate provisum fuerit: & inter casum, quo apparet, taliter cupiam provisum fuisse, sed invalidè. Hic quippe apparet, Papam apposuisse manum collationis talis beneficij; siquæ subintrat dispositio Juris communis, c. Ut nostrum. 56. de Appellation. & c. Si eo tempore. 45. de Election. in 6. & cit. Extravag. Ad Roman. h. t. inter Commun. Ibi econtra nullatenus apparet de tali appositione manus Pontificis, quinimò constat, talem non esse factam. Unde patet imbecillitas datæ probationis: nam quod argumentum à simili, vel pari, fragile sit; atque infirmum, & profertur unâ adductâ dissimilitudine, jam dictum est supra Lib. I. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 16. n. 414.

432 Accedit Constitutio 41. Gregorii XIII. Que in Ecclesiam (& habetur Tom. 2. Bullar. Roman.) ubi idem Pontifex §. 2. declarat, quod Collatores Ordinarîi Germanie, virtute concessionis Nicolai Papæ V. post lapsum trium mensium à die notæ vacationis, non possint conferre Beneficia vacantia, vel vacatura, de quibus infra dictum tempus trium mensium per Romanum Pontificem, ac dictam Sedem (Apostolicam) qualiscunque gratia, vel dispositio,

aut concessio facta fuerit. Ubi ponderandum est, quod Qualiscunque: nam hæc dictio est universalis, atque comprehendit omnem modum (sicque etiam dispositionem Papæ invalidam ob subreptionem, vel inhabilitatem impetrantis) non minus, ac dictio illa, Quoquo modo: prout notat Barbosa Tract. de Dictionibus. usufrequent. Diel. 299. & 300. n. 2. citans alios; atque istud desumens ex l. Penes. ff. de Verb. signif. Et hinc mirandum non est, quod in facti contingentia (de qua mihi bene constat) super præsentis quæstione consultus Illustrissimus, & Reverendissimus DD. Columna, Decanus Cancellariæ Apostolicæ, in favorem hujus posterioris sententiæ responderit: quod ipsi viderentur duo Primarii Advocati Romani, Concordatorum Germanie apprime gnari. Concordat Stylus Curie Romanæ: nam in allegata facti contingentia, cum Præbendam in mense Pontificio vacantem Papa infra trimestre cupiam contulisset, sed, invalidè ob canonicum defectum recipientis: non obstante collatione postmodum per inferiorem Collatorem alicui alteri factâ, & motâ desuper lite, Papa eandem Præbendam denuo contulit; & quidem additâ et clausulâ, quod ipsam nemo præter Romanum Pontificem et vice conferre poterit. Quod ipsum in aliis quoque casibus observatum fuisse intellexit, ut proinde de veritate posterioris, seu negativæ sententiæ in Conclusionem contentæ, vix amplius remaneat dubitandi locus: nam ad alias rationes, nec non Objectionum solutiones prioris sententiæ, promptum est respondere conformiter hæcenus dictis.

§. XV.

De Beneficiis apud Sedem Apostolicam seu in Curia vacantibus, aliisque collationi Papæ specialiter reservatis.

S U M M A R I U M.

- 433 An idem sit, Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, vel in Curia? Et n. seqq. Ista solem pro synonymis haberi. Ibid.
- 434 Proprie tamen loquendo differunt: & in quo?
- 435 Vacatio apud Sedem potest dupliciter intelligi, proprie, & improprie.
- 436 Reservatio beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, est antiquissima.
- 437 Atque olim merâ consuetudine observabatur.
- 438 Et cur?
- 439 Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, post lapsum unius mensis possunt conferri per inferiores.
- 440 Mensis iste est computandus à die vacationis, non notitiæ.
- 441 Solvitur instantia contra hoc ultimum.
- 442 Potest Papa etiam post mensem conferre Beneficia apud Sedem vacantia, dummodò res adhuc sit integra.
- 443 In aliis Beneficiis collationi Papæ reservatis, nullum tempus est à Jure præfixum Papæ ad conferendum.
- 444 Exceptis duobus casibus, in c. Si Apostolica. 35. de Præbend. in 6. expressis.
- 445 An c. Statutum. 3. de Præbend. in 6. sit revocatum per Extravag. Pix sollicitudinis, eod. inter Commun. variant Doctores.
- 446 Utrum illud saltem fuerit revocatum per Extravag. Ad regimen. eod. inter Communes?
- 447 Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, & collationi Papæ reservata juxta c. Præsent. 34. de Præbend. in 6. que? Et n. seqq. Loca vicina Curie Romanæ, que? Ibid.

448 Quid

§. XV. De Beneficiis apud Sedem Apostolicam &c. 129

- 448 Quid juris, si Curia de loco in locum mutetur?
- 449 Curialium Beneficia censentur vacare in Curia, dummodò eorum curialitas fuerit continuata usque ad mortem &c.
- 450 Etiam si translata Curia moriantur in itinere; vel infirmi remanserint &c.
- 451 Curia Romana, ubinam censatur existere?
- 452 Quid, si solus Papa aliorum proficiatur, relicta Romæ Cancellariâ?
- 453 Dieta Legalis, que?
- 454 Que alia Beneficia, spectato Jure Communi, sint Papæ reservata? Et n. seqq. Extravag. Ex debito. de Election. inter Commun. fuit solummodò temporalis. Ibid.
- 455 & 456. Per Extravag. Execrabili Joan. XXII. Que Beneficia reserventur?
- 457 Extravag. Ad regimen. de Præbend. inter Commun. fuit solum temporalis; sed innovari solet in Regula I. Cancellariæ.
458. 459. 460. 461. 462. 463. Enumerantur Beneficia, que in cit. Extravag. Ad regimen, Papæ reservantur.
- 464 Quid continent ceteræ Extravag. Inter Communes?
- 465 Ad collationem solius Papæ spectant Beneficia Urbis. Is appellatur Episcopus Romanus. Ibid.
- 466 Exceptis Beneficiis, que subsunt Titulis Cardinalium residentium.
- 467 Collationem quorundam Beneficiorum Papa sibi reservavit virtute diversarum Constitutionum Apostolicarum. Et n. seqq. Sic reservata sunt Papæ Beneficia vacantia propter Simoniam confidentialem, & quidem omnia. Ibid.
- 468 Item Ecclesie Parochiales, non servatâ formâ Concilii Tridentini collatæ.
- 469 Et Beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis.
- 470 An propter crimen Hæresis.
- 471 Item Beneficia vacantia propter delictum offendendum litigantes in Curia Romana, eorumque Judges, Advocatos &c.
- 472 Ac Beneficia eorum, qui se pro aliis ad obtinendum illis beneficium examini subiciunt &c.
- 473 Alii tales casus. Remissive.

433 Ovaritur I. An idem sit, Beneficium vacare apud Sedem Apostolicam, vel in Curia? Resp. I. Licet vacationes beneficiorum apud Sedem Apostolicam, & in Curia, pro synonymis haberi soleant, ac promiscuè unum præ aliò dici, præsertim in materia reservationum: strictè tamen, ac proprie loquendo, non nihil differunt. Priorem partem tradit Glossa in c. Statutum. 3. v. In curia. h. t. in 6. asserens, quod idem est dicere, in Curia, quod apud Sedem Apostolicam. Garcias part. 3. de Beneficiis, cap. I. n. 68. 69. & seqq. citans plures alios. Card. de Luca post Discurs. 100. de Beneficiis, seu in Beneficiorum Summa. §. 4. n. 34. dicens, quod pro synonymis ad omnes verè effectus hujusmodi vacationes in Curia, & apud Sedem, haberi solent; atque simul confundi, præsertim verò quoad effectum reservationis. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 13. n. 63. dicens, ita habere communem modum loquendi: & alii. Idque desumitur ex cap. 2. de Præbend. in 6. ubi Pontifex Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, in progressu appellat Beneficia in Curia Romana vacantia.

434 Alteram verò partem, seu quod proprie loquendo non nihil differant, tradit Ludovicus, Gomez in Regulas Cancellariæ. reg. De vicinialî possessore, quest. 31. circa princip. Covarravias practic. Quest.

cap. 36. n. 4. vers. ceterum. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. nu. 24. Gonzalez cit. gloss. 13. n. 48. & seqq. Engel h. t. n. 9. & alii. Ratio est: quia latinè patet, Beneficia vacare in Curia; quam vacare apud Sedem; omnia enim Beneficia vacantia apud Sedem, censentur etiam vacare in Curia; non tamen econtra. Siquidem, ut notat Covarravias, & Gomez, ubi supra, & Barbosa cit. n. 24. circa fin. illa Beneficia proprie dicuntur vacare apud Sedem Apostolicam, que vacant per verum obitum Beneficij, contingentem vel in ipsa Curia Romana, juxta cap. 2. h. t. in 6. vel saltem inter duas dietas, juxta c. Præsent. 34. eod. in 6. Econtra vacatio beneficiorum in Curia, non solum comprehendit beneficium per verum obitum vacantia apud Sedem Apostolicam, ut dictum; sed etiam illa, que vacant apud eandem fidem: puta; per renunciationem à Papa, vel ejusdem auctoritate admittam; item per depositionem, privationem, vel translationem &c. auctoritate Papæ factam, & aliis hujusmodi modis, de quibus fit mentio in Extravag. Ex debito. de Election. inter Commun. & Extravag. Ad regimen. h. t. inter Commun. & alibi.

Fatendum tamen, quod hæc ipsa differentia gravem patiat instantiam ex cit. Extravag. Ex debito. §. Hujusmodi. Ibi quippe Pontifex ex professo declarat, quod Beneficia Ecclesiastica per mortem, vel depositionem, ac privationem eorum, qui ea obtinerent, per electionum cassationem, populum repulsionem, renunciationem quorumlibet — canonicè vacare apud Sedem intelligantur præfata, seu Apostolicam: & tamen in horum posterioribus modis non intervenit vacatio per verum obitum, seu mortem naturalem. Verum de terminis non expedit multum disputare. Aut, si placet, dicatur conformiter Gomezio, ubi supra, vers. Et ideo, quod Vacatio apud Sedem possit intelligi dupliciter. Primo modo, proprie: & tunc vacatio apud Sedem intelligitur de illa, que fit per obitum, juxta cap. 2. h. t. in 6. Secundo modo, improprie: & tunc vacatio apud Sedem capitur pro quacunque vacatione in Curia, siquæ Vacatio apud Sedem, & Vacatio in Curia pro eodem capiuntur.

Quæritur II. Unde & cur reservatio Beneficiorum apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantium, fuerit introducta? Resp. I. Inter Beneficia Ecclesiastica, peculiariter collationi solius Papæ reservata, præcipua, simulque antiquissima reservatio est eorum beneficiorum, que apud Sedem Apostolicam vacant per obitum seu mortem naturalem Beneficiorum ibidem decedentium. Ita communis; & habetur clarè expressum in c. Licet. 2. h. t. in 6. illis verbis: Licet Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis: collationem tamen Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, & Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium specialius ceteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit: Nos naque &c. subjungendo expressum omnium Beneficiorum apud Sedem eandem imposthæc vacationum reservationem; & quidem sub clausula irritante, si secus à quoquam actum, seu attentatum fuerit: Nisi sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa ab ipso Pontifice Summo auctoritas attributa. Hæc ibi.

Additur notanter in data Conclusionis, simulque antiquissima, sive, ut Clemens IV. in relato textu, pro suo jam tempore loquens, aiebat: Antiqua consuetudo. Olim quippe non extabat Jus scriptum de tali reservatione, sed ante emanatum illam Decretalem;

lem, seu promulgationem memorati c. Licet 2. h. t. n. 6. merè antiquâ consuetudine observabatur, ut Beneficia, apud Sedem Apostolicam per obitum vacantia, conferantur à solo Romano Pontifice. Nunc autem successit Jus scriptum, sub dicta tamen limitatione specialis, atque expressæ concessionis Pontificiæ. Gloss. cap. ultim. §. Vacantibus de Consuetud. in 6. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 13. n. 30. & alii.

438 Resp. II. Congruentia dictæ antiquissimæ consuetudinis, sicut & reservationis beneficiorum in Curia vacantium, videtur esse, quam refert Aneas de Falconibus cit. tract. de Reservat. benefic. quest. 4. principal. effect. 6. n. 4. Quia videlicet Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam, seu in Curia, sunt de foro proprio Papæ, & ideo speciali quâdam prærogativâ sibi reservata: cum ratione rerum ibidem expediendarum, atque personarum pro suis negotiis curiam accedentium, aut in ea existentium, specialis quædam acquirat jurisdictionem, & subjectio, arg. cap. ultim. §. 1. Petri. de Offic. Archidiacon. & c. Postulasti. 14. & cap. ult. de Foro comper.

439 Queritur III. Utrum post lapsum unius mensis, Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, possint conferri per inferiores? Resp. I. Præmissis non obstantibus, si Romanus Pontifex ejusmodi beneficia Ecclesiasticæ apud Sedem præfatam vacantia, intra mensem, à die vacationis computandum, non contulerit, tunc Ordinarii, ad quos ceteroquin illorum collatio pertinet, poterunt ea conferre; sed tantummodo per se ipsos, aut ipsi absentibus per suos Vicarios Generales, speciale mandatum ad istud habentes. Ita textus expressus in c. Statutum 3. h. t. in 6. ubi Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi ita moderandam decrevit decretalem Clementis IV. quæ habetur cit. c. Licet. 2. eod. in 6. Idque factum est, ne aliqui beneficia Ecclesiastica (forte, ob ignorantiam subjectorum qualificatorum, quibus ea per Papam conferenda forent) diutius vacarent; & carentes legitimo Administratore, in spiritualibus, ac temporalibus rebus interim paterentur detrimentum. Vivianus in Rationali. ibid. Quamquam de revocatione hujus Capituli controvertant Doctores, juxta dicenda in objectione.

440 Dicitur autem, intra mensem, à die vacationis computandum: sive, ut ibidem sonat textus, Demum post mensem à die, quo dignitates, seu beneficia ipsa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant. Si quidem istud fuit statutum in favorem Ecclesiarum, ne diutius vacarent, non verò in odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre beneficium vacans. Unde, si toto mense non iret Papa, vacare beneficium aliquod apud Sedem suam, adhuc elapso mense posset illud conferri per Collatorem inferiorem.

441 Nec obstat c. Licet. 3. de Supplend. negligent. Prælat. & cap. 2. de Concession. Præbend. & c. Quia diversitatem. §. eod. ubi tempus semestre, quod de Jure concessum est ad collationem beneficiorum inferiorum, non à vacatione, sed à notitia computandum dicitur. Resp. enim, disparitatem esse: quia ibi tempus semestre principaliter est præfixum in odium negligentium conferre; unde merito computandum dicitur à die notitiæ de vacatione beneficiorum, cum ignorans alicujus desiderat, seu negligentiam argui non possit: nam is, qui nescit, potestatem expediendi non habet, l. Annus. ff. de Calumniatoribus. & l. Cum sex menses, de Edictio Edicto. Secus in casu nostræ Conclusionis: ubi tempus unius mensis ad conferendum, non in odium Papæ, seu ad puniendam ejus negligentiam, sed ob favorem Ecclesiarum statutum fuit, ut dictum; ac notat Glossa in cit. c. Statutum. §. Numerandum. h. t. in 6. & Vi-

vianus, ubi supra. Eò præsertim, quia hic Papa stans, contra se statuit: & si voluisset, potuisset expressisse tempus notitiæ, non vacationis.

Resp. II. Nihilominus præfata restrictio ad mensum non omnino excludit Papam, quò minus post mensem possit conferre beneficium vacantia apud Sedem Apostolicam, dummodo res sit integra; hoc est, dummodo beneficium illud necdum per inferiorem fuerit alicui collatum. Ita Barbosa in Collectan. ad cit. c. Statutum. n. 7. h. t. in 6. & part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 57. n. 24. post Massubrium in Praxi habendi Concursum, requis. 7. dub. 49. Unde post elapsum mensem à die vacationis (constantem triginta diebus, diem tamen vacationis non computando in mense, propter additum ly, à die; ac notat Glossa ibid. §. Numerandum) potest quidem Collator inferior ejusmodi beneficium conferre; sed ita, ut re integrâ etiam Papalud conferre valeat, sicque detur locus præventioni, arg. c. Si à sede. 31. junctâ Glossâ §. Nec appareat. h. t. in 6.

Porro ea, quæ nunc dicta sunt de lapsu unius mensis, procedunt solummodo de Beneficiis apud Sedem Apostolicam vacantibus, non autem de Beneficiis alio modo. sive ex alia causa reservatis collationi Papæ: hæc enim quocunque tempore possunt à Papa conferri, cum ipsi nullum tempus à Jure reperiant determinatum. Barbosa, ubi supra. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. §. 5. Proam. n. 143. Garcias de beneficiis, part. 5. cap. 1. n. 97. citans alios. Unde ad conferenda alia Beneficia Papæ reservata nullo unquam tempore Collator inferior poterit sese intrinmittere, nisi id in Jure reperitur expressum.

Et additur, nisi id Jure reperitur expressum. 444 Nam, præter casum jam relatum ex c. Statutum. 3. h. t. in 6. dantur duo alii casus Jure expressi, in quibus collator inferior potest conferre Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia. Primus est: quando Sede Apostolicâ vacante contingit vacare Ecclesiâ aliquas Parochiales: tunc enim, ne diuturnam ipsarum vacatio periculum valeat animabus afferre, concessum est Collatoribus Ordinariis eisdem conferre per textum expressum in c. Si Apostolica. 35. h. t. in 6. Secundus est, quando eadem Parochiales Ecclesiæ vacant vivente Papa, qui tamen de ipsâ ante obitum suum nihil ordinavit: tunc enim post mortem ejus statim per Collatorem inferiorem conferri possunt, etiam necdum elapso primo mense. Textus, & Glossa fin. cit. c. Si Apostolica. eod. in 6. Tacentur Concordata Germaniæ, vi quorum Collatores Inferiores possunt conferre Beneficia Papæ reservata, si de his intra trimestre nulli per Papam fuerit proviſum: verum hæc non sunt de Jure communi.

Obijcies contra secundam Conclusionem. Sæpè 445 citatum c. Statutum. 3. h. t. in 6. est renovatum per Extravag. Pie sollicitudinis, h. t. inter commun. ergo nulla conclusio. Resp. Antecedens probabilissimum esse negandum. Licet enim Jo. Andreas in eod. c. Statutum. num. 1. vers. Valeant. Gomez in Reg. de Trienniali possessore. quest. 31. circa princip. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. §. 5. Proam. n. 148. & 152. citans Rotam Decis. 12. ante num. 1. de Præbend. in novis. & plures alios, teneant, quòd citatum c. Statutum. h. t. in 6. fuerit renovatum per dictam Extravag. Pie sollicitudinis. eod. inter commun. Merito tamen de tali revocatione dubitant Aneas de Falconibus in d. tract. de Reservat. benefic. quest. 4. principal. Effect. 6. n. 2. Garcias part. 5. de beneficiis, cap. 1. n. 99. Barbosa in Collectan. ad cit. c. Statutum. n. 2. h. t. in 6. Pirhing h. t. n. 332. & alii plures, quos allegat. Accedit ratio: quia dicta Extravag. Pie solli-

sollicitudinis, edita fuit à Bonifacio VIII. & quidem primo anno sui Pontificatus, 3. Non. Maii; ut patet in Data dictæ Extravagantis. Unde, quia idem Bonifacius VIII. postea primum, sive anno quarto Pontificatus sui, Nonis Maii, edidit Compilationem Sexti decretalium, nec tamen eidem inseruit citatam Extravag. Pie sollicitudinis: signum est ipsam noluisse istam Extravagantem habere vim aliquam contra sæpè dictum c. Statutum. 3. h. t. in 6. utpote editum in Concilio Generali Lugdunensi: alioquin procul dubio eandem memoratæ suæ Capitulationi inseruisset. Confirmatur hoc ipsum ex eo, quòd idem Pontifex in Proemio Sexti Decretalium, junctâ Glossâ §. Refutari, imposterum refutandas dicit decretales suorum Prædecessorum, quæ dicto Sexto Decretalium non reperitur insertæ.

446 Dices cum Garcia d. part. 5. cap. 1. n. 100. & aliis, quos citat, memoratum c. Statutum. h. t. in 6. saltem postea fuisse revocatum per Extravag. Ad regimen. 13. h. t. inter Commun. quæ fuit edita per Benedictum XI. anno Domini 1235. atque in Regulis Cancellariæ, Reg. 1. per Summos Pontifices innovari consuevit, eò quòd in ipsa referuntur collationi solius Romani Pontificis omnia, & singula beneficia Ecclesiastica, apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia; addito Decreto irritante, & clausula illa generali: Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus prædecessorum nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obſistere possent &c. Resp. Etiam de hac revocatione sufficienter non constare: quin potius, ut notat Vivianus in Rationali. ibid. & Pirhing h. t. num. 332. dicta Extravagans est intelligenda, atque limitata secundum restrictionem, seu declarationem factam in prioribus Decretalibus (hoc est, in c. Statutum. 3. & c. Si Apostolica. 35. h. t. in 6.) non verò censetur eas revocare. Tum, ut evitetur correctio juris, quantum fieri potest, juxta c. Cum expediat. 29. de Election. in 6. Tum quia in cit. Extravag. Ad regimen, referuntur quidem collationi Papæ Beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, sed generaliter solum: non verò ibidem in specie negatur, eadem post mensum, atque in duobus casibus num. 444. jam expressis, posse conferri per Collatores ordinarios; ne aliqui Ecclesiæ ex diuturniori vacantia detrimentum patiantur. Unde, quia hæc agitur de favore Ecclesiarum, neque ille reperitur clarè revocatus, non oportet asserere, quòd dicta Extravagantes, Ad regimen. revocaverint priores Decretales; sed potius ea videtur limitata juxta cit. c. Statutum. & c. Si Apostolica. h. t. in 6. Nam, quòd lex posterior generalis limitetur per priorem specialiter loquentem, probat Reg. 34. Jur. in 6. Generi per speciem derogatur: etique ex professo dictum supra Lib. 1. Tit. 2. de Constitutionibus. §. 19. n. 496. & 497.

Queritur IV. Quid dicendum de reservatione 447 Beneficiorum vacantium in Curia, juxta c. Præfenti. de Præbend. in 6.? Resp. Inter beneficia Ecclesiastica apud Sedem Apostolicam, seu in Curia vacantia, & proinde collationi solius Romani Pontificis reservata, potissimum numerantur ea, quæ referuntur in c. Præfenti. 34. h. t. in 6. edito ad declarationem cap. Licet. 2. eod. in 6. & sunt sequentia. Primò, collationi Papæ referuntur Beneficia, quæ Legati, aut Nuncii Sedis Apostolicæ, vel quivis alii (sive Curiales fuerint, sive non; ut explicat Glossa ibid. §. Alii, communiter recepta) ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curie moriantur: quemadmodum si in loco, ubi eadem Curia residet, morerentur. Hæc ibi: paulò post, sive §. Loca, subiungendo, quòd Loca intelligantur vicina eidem Curie in præmissis, quæ remota ultra duas dietas

Legales à loco, ubi moratur ipsa Curia, non existunt. Additur in relato textu, ad Romanam Curiam venientes, vel recedentes ab ipsa: quod intellige, ratione negotiorum ibidem tractandorum, vel litis prosequendæ causâ. Nam si quis alius de causâ Romam accesserit, aut exiit in loco illo, ubi reperitur Curia & ibi moriatur: puta, si Curia Romana de loco in locum mutetur, v. g. Avinionem in Gallia, Beneficia ibidem per obitum talis Clerici vacantia, non censentur reservata collationi Papæ: nisi Clericus ille decedens Curialis esset antea, & ibidem occasione Curie moraretur: prout expressè declaratur in cit. c. Præfenti. §. Sanè, h. t. in 6. Nec immeritò: alioquin enim nimis grave præjudicium inferretur loco, ubi degit Curia, si omnia beneficia ibidem vacantia possent per solum Papam collationi, atque ob nudam Curie suæ præsentiam collationi Papæ reservarentur; prout notat Glossa ibid. §. Moraretur. Pirhing h. t. n. 333. & alii.

Deinde inter Beneficia vacantia in Curia, veniunt Beneficia Curialium, seu qui Papæ, aut Cardinalibus, sive Officialibus Romanæ Curie inferuntur: dummodo horum Curialitas fuerit continuata usque ad mortem: prout præsumitur continuata, nisi probetur mutata. Barbosa cit. c. Præfenti. nu. 4. h. t. in 6. cum aliis. Siquidem Curialium beneficia non solum censentur vacare in Curia, quando in actuali ejus servitio moriuntur: sed insuper id contingit, si quis ipsorum (etiam Ecclesiâ Romanâ vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quavis causâ, ad locum Curie secedens, in hujusmodi loco vicino decedat: dummodo ibi (etiam si erat ad ipsam Curiam reverſurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat. Ita textus in d. c. Præfenti. h. t. in 6.

Tandem hoc ipsum cit. c. Præfenti. §. Porrò h. t. 450 in 6. extenditur ad Beneficia Curialium, qui translata Curia eam sequentes, in itinere moriuntur; aut qui in loco, unde recessit Curia, remanent infirmi, ac postmodum decedunt: nam horum Beneficia censentur pariter vacare in Curia, nec nisi per Papam conferri possunt. Sic enim loquitur textus ibidem, Porrò, cum Curiam de loco ad locum transferri contigerit: si Curiales in itinere (dum Curiam sequuntur eandem) vel in loco, unde recessit Curia, remanentes infirmi rebus inibi eximuntur humanis, præmissum Statutum (quantumcumque locus, ubi decedunt, ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum beneficia se extendit. Hæc ibi. Quod ut melius intelligatur,

Queritur V. Ubinam Curia Romana, in ordine 451 ad colligendam exinde reservationem Beneficiorum, censetur existeret? Resp. I. Curia Romana, quantum ad propositum, ibi censetur esse, ubi est Papa cum Cancellaria, & Tribunalibus, & Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet. Ita Covarruvias Practic. Quest. cap. 4. n. 10. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 1. n. 391. & segg. Pirhing h. t. n. 334. Engel eod. n. 10. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 13. §. 1. n. 2. citans plures alios.

Resp. II. Quòd si solus Papa alicorūm proficiscatur, relicta Romanæ Cancellaria, & Tribunalibus (pro ut Clemens VIII. anno 1598. Ferrariorum profectus fuerat) non dicitur transferri Curia, arg. Clem. Ne Romani. §. Sanè cum. §. Et tamen adjecto, de Election. Garcias loc. cit. n. 392. Nihilominus quoad effectum reservationum Beneficiorum, tunc in utroque loco dicitur esse Curia, Ferrariæ quidem in suo capite, & Romæ in suo corpore: adeoque Beneficia venientium ad Curiam, & morientium in uno dictorum locorum, vel intra duas dietas Legales ab eo, juxta c. Præfenti. 34. h. t. in 6. censentur vacare in Curia; suntque collationi solius Papæ reservata. Et in facti contingentia declaravit alè memoratus Clemens VIII. in sua Constitutione 54. quæ incipit, Cum

Cum ob nomillas; atque refertur Tom. 3. Bullarii Romani. Garcias, & Pirhing, ubi supra, & alii: quamquam quoad hoc esse attendendum stylum Curia, & Cancellaria Apostolica, qui pro diversitate temporum nonnunquam variatur, moneat Engel h. t. num. 10.

453 Cæterum per Dietam Legalem, de qua proxime facta est mentio, intelligitur iter unius diei, computando viginti milliaria Italica pro die, l. Vicenna millia ff. si quis cautionibus &c. Glossa in cit. c. Præfenti. y. Legales. h. t. in 6. Engel h. t. n. 10. asserens, quod viginti milliaria Italica faciunt quatuor, vel ad summum quinque milliaria Germanica: ac proinde duæ Dietæ Legales constituunt quadraginta milliaria Italica, seu octo aut decem Germanica.

454 Quæritur VI. Quæ alia Beneficia, spectato Jure communi, specialiter collationi Papæ sint reservata? Resp. I. Est in Extravag. Ex debito. de Election. inter Commun. plura Beneficia sive collationi reservaverit Joannes Papa XXII. tamen dicta Extravagans fuit solummodo temporalis, atque cum suo Conditorum expiravit. Ita patet ex verbis ejusdem Papæ, ibidem referentis sibi Beneficia, Donec Christi dignatio Nos dignabitur universalis Ecclesie sponsæ suæ regimini præsidere: ac notat Barbosa in Collecian. ibid. n. 2. & Garcias part. 5. de Benefic. cap. 1. n. 85. citans alios. Unde de hac superfluum foret plura dicere.

455 Resp. II. Per Extravag. Execrabilis Joann. XXII. quæ refertur tum inter Extravagantes ejusdem Joann. XXII. tum inter Commun. sed sub diversis Glossis, referuntur circa finem ipsius, sive in §. Qui verò deinceps, quædam Beneficia collationi Papæ: videlicet ea, quæ post præhabitam dignitatem, Personatum, Officium, aut aliud Beneficium recipiunt, nec tamen prius Beneficium (quod ipso jure per pacificam receptionem posterioris vacare dignoscitur) absque moræ dispensatione, in manibus Ordinariorum dimittitur. Tunc enim, qui præsumperint retinere primum cum secundo, ipso jure etiam secundum privati existunt; atque ad Sacros Ordines suscipiendos, & ad habendum quocunque Beneficium inhabiles reputantur: simulque omnia & singula Beneficia vacatura, ut præmittitur (hoc est, vacatura ipso jure ex Constitutione illius Constitutionis, ut explicat Glossa y. Vacatura; videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris Beneficii incompatibilis) Sedis Apostolicæ dispositioni referuntur.

456 Dicitur notanter in data explicatione Glossæ, videlicet, vacatura propter illicitam retentionem alterius prioris Beneficii incompatibilis. Nam in cit. Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. non reservatur collationi Papæ prius Beneficium (hoc enim foret contra c. de multa. 28. h. t. ubi ejusmodi Beneficium, per receptionem posterioris ipso jure vacans, jubetur à Collatore ordinario intra legitimum tempus conferri) sed in cit. Extravag. Execrabilis. solummodo posterioris Beneficium reservatur collationi Papæ; utpote quod indebitè retentum cum priori, ipso jure virtute illius Extravagantis vacare, sicque collationi Papæ reservari dignoscitur. Et ita notat Glossa ibid. y. Ut præmittitur. Barbosa in Collecian. ibid. n. 10. subjungens, hoc modo pariter intelligendam esse Regulam I. Cancellariæ: in qua reservantur Beneficia, quæ per Constitutionem Execrabilis vacant, vel vacabunt. Garcias part. 11. de Beneficiis, cap. 5. n. 45. citans plures alios; & sequitur Pirhing h. t. num. 154.

457 Resp. III. Extravagans Beneficium XI. quæ incipit, Ad regimen. h. t. inter Commun. fuit quidem temporalis solummodo, & cum Conditorum suo expiravit; prout delimitur ex illis verbis istius: Donec Miserationis Divinæ Clementiæ Nos universalis Ecclesie regimini præsidere concesserit --- reservamus

&c. ac notat Barbosa ibid. in Collecian. num. 2. Garcias part. 5. de Benefic. cap. 1. nu. 85. Quia tamen eadem Extravagans per singulos Pontifices innovari solet in Reg. I. Cancellar. operæ pretium esse videtur, breviter examinare Beneficia ibidem reservata collationi Papæ.

Imprimis itaque referantur ibi collationi Papæ omnes Ecclesie Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales, atque etiam Monasteria, Prioratus, Dignitates, Personatus, & Officia, nec non Canonatus, Præbendæ, & Ecclesie, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, secularia, & regularia quæcunque, & qualiacunque fuerint; etiam si ad illa personæ consueverint, vel debuerint per electionem, vel quemvis alium modum assumi, si quando apud Sedem Apostolicam vacant, vel imposterum vacabunt.

Deinde referantur Beneficia vacantia, vel imposterum vacatura per depositionem, vel privationem, seu translationem, aut muneris consecrationis suspensionem, autoritate Papæ factam, vel faciendam. Nec non, forsitan aliqui electi, vel postulati fuerint, vel imposterum eligantur, vel postulerint in concordia, aut discordia, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & per Papam admissa fuerit; aut in antea cassati, repelli, vel admitti contigerit apud Sedem Apostolicam, vel alibi ubicunque.

Tertiò referantur Beneficia vacantia per obitum Cardinalium S. R. Ecclesie, ac Officialium dictæ Sedis: videlicet, Camerarii, Vicecancellarii, Notarii, Auditorum litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, & Scriptorum litterarum Apostolicarum, ac Poenitentiarum præfate Sedis; & Abreviatorum, nec non Commentariorum, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis ejusdem: & etiam quorumcumque Legatorum, sive Nuntiorum, ac in terris Ecclesie Romanæ Rectorum & Thesaurariorum, per Papam specialiter deputatorum, seu missorum, vel deputandorum, seu mittendorum imposterum, ubicunque dictos Legatos, vel Nuntios, seu Rectores, aut Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, qui venerint, rebus eximi contigerit humanis.

Quintò referantur Beneficia vacantia per obitum quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venturum, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta Curia ultra duas dietas Legales non distantibus moriantur. Item Beneficia vacantia per obitum quorumcumque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu aliâ quâcunque causâ ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia (ut præmittitur) non remotis, dummodò eorum proprium domicilium non existat ibidem, mori contigerit.

Quintò referantur Monasteria, Prioratus, Decanatus, Dignitates, Personatus, administrationes, Officia, Canonatus, Præbendæ, & Ecclesie, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, secularia & regularia, cum cura, vel sine cura, quæcunque, vel qualiacunque fuerint, etiam si ad illa personæ consueverint, & debuerint per electionem, aut quemvis alium modum assumi; quæ promoti per Papam ad Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, nec non Monasteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, sicque vacant, seu imposterum vacabunt.

Sextò denique referantur quæcunque Beneficia quæ per affectionem pacificam quorumcumque Prioratum, Dignitatum, Personatum, Officiorum, Canonatum, & Præbendarum, Ecclesiarum & Beneficiorum

ciòrum aliorum, per Papam collatorum, vel conferendorum imposterum, tunc vacant, & in antea vacabunt. Decernendo ex tunc irritum, & inane, si factis super præmissis, & quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, conigerit attentari.

464 Resp. IV. De reliquis Extravagantibus hujus Tituli inter Communes, nonnullorum Beneficiorum reservationem continentibus, nihil restat notabile dicendum: quia agunt solum de Beneficiis certarum Provinciarum; puta, Provincie Burdegalenfis, ut Extravag. Epsi in temporalium. aut loquuntur de erectione Ecclesie Tholosanæ in novam Metropolim; ut Extravag. Solvatur. cum seqq. Aut continent aliam materiam huc non pertinentem: præter Extravag. Pie sollicitudinis, & Extravag. Ad Romanam, de quibus jam est dictum superius.

465 Quæritur VII. An dentur aliqua alia Beneficia ad collationem solius Papæ pertinentia? Resp. I. Ad collationem solius Papæ ulterius spectant Beneficia Urbis, seu quæ Romæ existunt: nam horum collatio pertinet ad Papam, tanquam Episcopum Romanum, prout is appellatur in can. Si quis Episcopus. 2. qu. 6. cum similibus. Ita Aneas de Falcorib. cit. tract. de Reservat. Benefic. quæst. 2. principal. n. 9. Ch. tier in Reg. Cancellar. num. 23. vers. Secunda reservatio. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. gloss. 13. num. 3. & 4. allegans alios. Quamquam Aneas de Falcorib. d. num. 9. & Gonzalez loc. cit. n. 7. & 8. ac seqq. cæterique Auth res notent, Beneficia in Urbe existentia solum improprie dici reservata (haud obstant, quòd pro majori cautela per Reg. 7. Cancellariæ expressè referantur) sed quòd Papa jure proprio, seu ordinario, veluti Episcopus Romanus, eadem conferat, nullumque aliud addit, qui ita conferre, Papamque conferendo Beneficia Urbis vacantia prævenire valeat. Nam reservatio proprie fit propter timorem præventionis, seu ne inferior ordinarius Collator possit Papam in conferendo prævenire.

466 Patendum tamen, quòd Beneficia Urbis, quæ subiant Titulis Cardinalium, arg. c. His quæ. 11. de Majori. & obediunt conferantur per ipsos, quando hujusmodi Cardinales sunt in Urbe: secus, quando absunt; juxta Reg. 7. Cancellariæ. Licet enim horum Beneficiorum collatio jure ordinario pertineat ad Papam, veluti Episcopum Urbis, ut dictum: nihilominus, ut Summi Pontifices stendant, Cardinales sibi conjunctissimos, & verè Fratres existere, simulque magis eos suorum Titulorum per residentiam personalem studiosos reddant; pleniorè illis, dummodò in Urbe resident, consueverunt dare potestatem conferendi Beneficia vacantia. Chokier ad Reg. 1. Cancellar. n. 22. vers. Secunda. cum aliis.

467 Resp. II. Insuper collationem quorumdam Beneficiorum Ecclesiasticorum Papa sibi reservavit virtute diversarum Constitutionum Apostolicarum, quæ non continentur in Corpore Juris Canonici. Sic quippe ipso jure vacant, atque reservata sunt Sedi Apostolicæ Beneficia, quæ fuerunt recepta in Constitutione; hoc est, per Synodum confidentialem: ex Constitutione 85. Pii IV. Romanum Pontificem. §. 5. Quam etiam innovavit B. Pius V. in sua Constitutione 85. Intolerabilis: ita tamen, ut hanc ipsam Constitutionem, ac reservationem, decreverit procedere, atque intelligendam esse non solum de Beneficiis, in quibus commissa est Simonia confidentialis, sed etiam de omnibus aliis, quæ obtinebat Constituentibus; prout liquet ex eadem Billa B. Pii V. §. 8. Sed ne quisquam; & notat Barbosa cit. allegat. 57. n. 42. Uræque dictarum Constitutionum referunt Tom. 2. Bullarii Romani.

468 Deinde dispositioni Sedis Apostolicæ referantur Ecclesie Patriarchales, quæ non servat formam Constituentium Jus Can. Tom. III.

collationi Tridenini collata fuerunt, vel conferantur imposterum: ex Constitutione 33. B. Pii V. In conferendis. §. 3. ac refertur cit. Tom. 2. Bullarii Romani. Adde dicta superius §. 5. n. 148.

469 Tertio, Beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis, reservata sunt collationi Sedis Apostolicæ: ex Constitutione 85. Gregorii XIII. Humano vix judicio. §. 5. & refertur pariter Tom. 2. Bullarii Romani.

470 Quarto, Beneficia vacantia propter crimen Hæresis, reservantur collationi Sedis Apostolicæ: ex Constitutione 29. B. Pii V. Cum ex Apostolatus. §. 1. referturque cit. Tom. 2. Bullarii.

471 Quintò, Beneficia ipsa jure vacantia propter delictum offensivum litigantes in Curia Romana, eorumque Judices, Advocatos, Procuratores, Notarios, testisque, & alios hujusmodi, referantur dispositioni Sedis Apostolicæ: ex Constituti. n. 11. Alexandri VI. In eminenti Sedis. §. 4. quæ habetur Tom. 1. Bullarii Romani.

472 Sextò, Beneficia eorum, qui se pro aliis, in ordine ad obtinendum pro eis Beneficium, examini subjiciunt; vel qui annuas pensiones offerunt pro eorum eorumque Beneficiis &c. non solum ipso jure vacant, sed etiam collationi Romani Pontificis referantur: ex Constitutione 12. Pauli IV. Inter cæteras. §. 2. & 3. ac refertur cit. Tom. 1. Bullarii.

473 Tacetur nonnulli alii casus, in quibus collatio quorundam Beneficiorum referatur Sedi Apostolicæ, quorum universim triginta quinque enumerat Hieron. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellariæ. gloss. 57. per totum: verum præmissi sunt cæteris notabiliores. Superest, ut de Regibus Cancellariæ, & Concordatis Germaniæ, aliquid dicatur: nam hisce pariter certa Beneficia Ecclesiastica collationi Sedis Apostolicæ referantur.

§. XVI.

De Regulis Cancellariæ, ac tenore modernarum.

S U M M A R I U M.

- 474 Regule Cancellariæ, quid, & quot sint?
- 475 Et cur sic dicantur?
- 476 Obligant non solum Officiales Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam alios, exceptis Cardinalibus.
- 477 Cancellaria Apostolica efformat speciem magni Tribunalis.
- 478 Dicitur Organum Papæ: & cur? Ibid.
- 478 Regule Cancellariæ à Joanne XXII. circa annum Domini 1330. initium habent.
- 479 Haud obstante, quòd Cancellaria Apostolica jam antea existerit.
- 480 Regule Cancellariæ de factò statim obligant ab eo tempore, quo à Neo-electo Papa resumuntur.
- 481 Licet nondum fuerint publicatæ: & solvitur instantia.
- 482 Quomodo obligent ante suam publicationem?
- 483 Durant tantum advitum Papæ eas facientis, & in morte ejus expirant.
- 484 Unde vacante Sede Apostolica, cessant reservationes Beneficiorum in eisdem duratura contentæ.
- 485 Et quid dicendum de reservationibus clausis in Corpore Juris? Ibid.
- 485 Sede Papali vacante potest Collator ordinarius conferre Beneficia, cæterorum reservata solum per Regulas Cancellariæ.
- 486 Antequam Neo-electus Papa fecerit novas Regulas: secus postea.

487 Regule Cancellariæ successu temporis in pluribus sunt mutatae.
488 Tenor Regularum Cancellariæ SS. D. N. D. Clementis Papæ XI.

474 Queritur I. Quid sint Regule Cancellariæ, cur sic dicantur, quo tempore ortum habuerint? Resp. I. Regule Cancellariæ sunt certæ Constitutiones Apostolicæ, quas singuli Pontifices à principio sui regiminis circa causas beneficentiales, & judiciales facere, vel à Prædecessoribus suis jam factas renovare, augere, vel minuere consueverunt. Earum de facto solent esse septuaginta duæ: totidem enim novissimè publicavit SS. D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papa XI. Quamvis, præter nonnullas alias differentias, olim pauciores fuerint; prout patet ex eo; quod Urbanus VIII. anno 1623. solammodò septuaginta & unam fecerit, quæ referuntur Tom. 4. Bullar. Roman. Constitut. 7. dicti Pontificis: Simulque ex eo, quod Regula Reservationis mensium Apostolicorum, quæ olim Octava fuerat, & in quam, veluti ad Regulam VIII. Cancellariæ, Hieronymus Gonzalez integrum Tractatum conscripsit, nunc Nona existit. Earum priores tractant de reservationibus Apostolicis, tum generalibus, tum specialibus Beneficiorum, quorum collationem Papa sibi reservare intendit: posteriores agunt de Litteris Apostolicis expediendis, ac formâ, seu clausulis in earum expeditione observandis; nec non de dispensationibus, atque Indulgentiis obtinendis, & hujusmodi: prout amplius patebit ex tenore earundem Regularum Cancellariæ proximè allegandæ.

475 Resp. II. Regule Cancellariæ sic dicuntur, quod non solum Cancellariam Apostolicam, seu Officialia ipsius obligent; sed quia magna ipsarum pars concernit expeditionem Litterarum Apostolicarum, in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipsarum expeditione observandam: simulque, quia Regule illæ in Cancellaria Apostolica publicari consueverunt, & Regule ejus inferi. Ita Rebuffus in Praxi Benefic. tit. Additiones in Regulas Cancellariæ. §. Cancellariæ. Joann. Chokier Commentar. in Rubric. Regular. Cancellar. n. 16. & 17.
476 Accedit alia ratio. Siquidem Regule Cancellariæ sunt Ordinationes, seu constitutiones generales; atque ex personâ Conditoris sui, sive Sanctissimi Domini Papæ, eisdem sub initio Pontificatus sui pro meliore regimine faciendis, obligant non solum Officialia Cancellariæ Apostolicæ; sed etiam, in materia ipsi adaptabili, attingunt omnes alios: exceptis duntaxat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui ob speciales prærogativas, atque privilegia sibi competentia, expressè excipiuntur per Regulam 70. Cancellariæ.

477 Porro in Cancellaria Apostolica, præter Cardinalem Vice-Cancellarium, plures alii Officialia, tum Prælati, tum non Prælati, & quidem in valde copioso numero adesse solent: adeo, ut species magni, & qualificati Tribunalis efformari videatur. Card. de Luca in Relatione Curie Romanæ, Discurs. 10. n. 9. 11. & 12. Estque tantæ autoritatis, atque excellentiæ Cancellaria Apostolica, ut Organum Papæ dicatur. Card. de Luca, loc. cit. Discurs. 9. n. 28. Chokier in Reg. 43. Cancellar. nu. 42. vers. Difficultas. Sive, ut Gonzalez ad Reg. 3. Cancell. gloss. 13. n. 12. post Castellorum Decis. 3. n. 3. de Reservat. loquitur, Cancellaria Apostolica est organum mentis, & vocis Papæ. Unde quicquid facit Cancellaria, videtur factum à Papa, utpotè ejus ipsa est organum, Chokier cit. n. 42. Nec immerito: nam in Romanum etiam Pontificem cadit illud effectum imperatoris, L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure

enucleand. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur, c. Si Apostolica. 22. h. i. in 6. Illud autem, quod Principi placuit, legis habet vigorem; prout dicitur L. 1. ff. de Constitut. Princip.

478 Resp. III. Regule Cancellariæ à Joanne XXII. circa annum Domini 1330. initium, atque originem habuerunt. Ita Ludovicus Gomez Quetz. 1. Proemial. in Regul. Cancellar. à princip. Card. de Luca Discurs. 1. de Beneficiis, n. 23. Idque probat Gomezius loc. cit. ex eo: quia in vetusto quodam membrano Codice (quem Vulgares Quinterium Cancellariæ Apostolicæ vocant) primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII. Regularum auctor: neque ante ipsam alius Summorum Pontificum invenitur, qui hoc antea præstitit, tradendo videlicet Regulas Cancellariæ in scriptis.

479 Nec obstat, quod ipsam Cancellaria Apostolica longè antea exstitit: utpotè cujus jam Lucius Papa III. (qui fuit electus anno Domini 1181.) meminuit in c. Ad hæc sumus. 10. de Rescript. illis verbis: De Cancellaria nostra litteras recepisse &c. Resp. enim cum Gomezio loc. cit. quod tunc temporis Cancellariæ negotia non Regulis, sed vivæ vocis mandato, & stylo fuerint directâ: quia tamen sine aliquo certo ordine, sed eventualiter, & quodammodò fortuito processerant; merito postmodum scriptis comprehensæ, atque in eadem Cancellaria publicatæ fuerunt: certæ Regule impostum observandæ, quas nunc Regulas Cancellariæ appellamus.

480 Queritur II. A quo tempore Regule Cancellariæ obligare incipiant, & quamdiu obligent? Resp. I. Regule Cancellariæ utprimis illud habent speciale præ aliis Legibus, & constitutionibus Apostolicis, quod de facto statim obligent ab eo tempore, quo à Neo-electo Pontifice Romano reassumuntur; licet nondum fuerint publicatæ. Ita liquet ex ipsarum Præfatione nunc usitata, & sic loquente: Quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas, observari voluit, videlicet Papa Neo-electus.

481 Nec obstat, quod Rebuffus in addition. ad Regulas Cancellariæ Pauli Papæ III. §. Reservaciones. §. Ex tunc. & Zerola in Praxi Episcopali, part. 2. §. Regule Cancellariæ, cum nonnullis aliis velit, Regulas Cancellariæ solum obligare à die promulgationis; utpotè, quæ est causa formalis Legis sanctæ. Resp. enim, istud ex eo contingit; quia tempore Rebuffi nondum Præfationi Regularum Cancellariæ habebatur inserta clausula illa: Licet nondum publicatas: prout liquet ex tenore Regularum ab ipso relatarum. Alioquin verò leges etiam ad præterita facta trahi, quando nominatim in eis de præteritis cavetur; textus est in cap. ult. de Constitut. & L. 7. C. de Legib. ubi dicitur, Leges non ad facta præterita revocari, nisi nominatim etiam de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis, cautum sit.

482 Cæterum, quando Leges nominatim cavent de præteritis (prout obligant Regule Cancellariæ ante suam publicationem) tunc ipse pro tempore præterito solum obligant quoad nullitatem actus in contrarium gesti (puta quod invalida sit collatio beneficii contra Regulas Cancellariæ tunc facta, & quod ita Judices pronunciare debeant: non verò tunc obligant quoad culpam, vel poenam incurtendam, donec debite publicentur. Engel tit. de Præbendis. numer. 19. etique jam dictum supra Lib. 1. Tit. de Constitutionibus. §. 5. n. 107. 108. & 109.

483 Resp. III. Insuper Regule Cancellariæ istud habent speciale, quod tantum durent, seu obligent ad vitam Romani Pontificis eas faciendis; & in morte ipsius illic expirent. Patet hoc ex dicta Præfatione earundem Regularum, atque verbis jam allegatis: Et suo tempore duraturas: ac notat Rebuffus

§. XVI. De Regulis Cancellariæ, ac tenore modernarum. 135

sus in Addition. Reg. Cancellar. Reg. 1. §. Suo tempore Garcia part. 5. de Beneficiis, cap. 1. nu. 643. Gonzalez ad Reg. 8. Cancellar. §. 5. proem. nu. 2. & seqq. & gloss. 12. n. 2. ac seqq. Card. de Luca de Benefic. Discurs. 16. n. 8. & Discurs. 31. n. 4. & 5. Flamini. Parisius lib. 11. de Resignat. Benefic. quest. 2. num. 31. Engel h. i. num. 19. & alii. Idque probatur ulterius ex eo: quia Papa Neo-electus in Reg. 1. Cancellar. ac seqq. Beneficia ibidem specificata dispositioni sue reservare consueverit; sicque aperte innuit, quod ejusmodi reservatio sit personalis, & consequenter cum Conditore suo expiret: nam voluntas disponendi, sive beneplacitum Papæ, in morte ejusdem omnino extinguitur, c. si gratiosè. 5. junctâ Glozâ §. Sive, de Rescript. in 6.

484 Inferitur proximè primò, quod cum vacante Sede Apostolicâ cessent Regule Cancellariæ, pariter cessent Reservaciones Beneficiorum in eisdem duntaxat contentæ. Et additur, in eisdem duntaxat contentæ. Nam secus est dicendum de reservationibus clausis in Corpore Juris communis: ut est reservatio Beneficiorum in Curia vacantium; juxta cap. 2. & c. Præfenti. 34. h. i. in 6. Hæc enim reservatio tunc non cessat: quamquam si infra mensem non sequatur electio novi Pontificis, sicque collatio talium Beneficiorum non fiat, subsint dispositio c. Statutum. 3. & c. Si Apostolica. 35. eod. in 6. conformiter dictis supra n. 439. & 444. ac seqq.

485 Inferitur ulterius, quod Sede Papali vacante jus Ordinariorum revertatur ad primævos terminos Juris communis, exceptis reservationibus clausis in Corpore Juris, & affectionibus personalibus. Card. de Luca de Beneficiis, Discurs. 16. n. 7. & 8. & communis. Unde Collator ordinarius poterit tunc conferre Beneficia, cæteroque reservata solum per Regulas Cancellariæ; ut puta, vacantia in mensibus Pontificiis, dummodò id fiat, antequam Papa noviter creatus alias Regulas constituat: hoc ipsum quippe importat relatum ly: Et suo tempore duraturas. Rebuffus cit. Reg. 1. Cancellar. §. Suo tempore. post Dominicum Consil. 93. Gonzalez d. 5. 5. Proem. n. 45. Zerola part. 2. Praxis Episcopali. §. Regule Cancellar. & §. Beneficium. n. 1. Layman. 1. 4. Theol. Moral. tract. 2. cap. 11. n. 1. vers. Denique. Garcia part. 5. de Benefic. cap. 1. n. 645. asserens, quod Sede Apostolicâ vacante omnes mensis sint Ordinariorum; hique possint providere de Beneficiis vacantibus in quolibet mense, antequam Neo-electus Papa fecerit novas Regulas Cancellariæ.

486 Et notanter additur, antequam Neo-electus Papa fecerit novas Regulas: quas singuli Pontifices facere solent de immediatè sequenti post assumptionem suam ad Papatum. Nam Regulis hinc jam factis non valet collatio Beneficii, quod Sede Papali vacante in mense Pontificio vacaverat, & per Collatorem ordinarium antea collatum non fuerat: quia tunc jam obligant novæ Regule, etiam nondum publicatæ, quoad nullitatem actus in contrarium gesti, ut dictum n. 482. Quin imò per Regulam 68. quæ inscribitur, Reservatio Beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante, Neo-electus Papa ejusmodi Beneficia, de quibus per quoscunque Ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, seu minis validè dispositum erat, suæ provisioni, ac dispositioni expressè reservat: Decernens irritum &c. prout eadem Regula inter alia loquitur.

487 Queritur III. Cujus tenoris esse soleant modernæ Regule Cancellariæ? Resp. I. Et si Regule Cancellariæ successu temporis in pluribus sint mutatae, atque augmentatæ, vel magis declaratæ: prout patebit conferenti vetustiores Regulas Cancellariæ, repetas in Libris, cum modernis: tenor tamen novissimarum Regularum Cancellariæ, seu Reiffenhuell Jus Can. Tom. III.

authoritate Sanctissimi in Christo Patris, ac D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. nunc regnantis, publicatarum, juxta exemplar. Romæ in Typographia Rev. Cam. Apostolicâ impressum, est talis ut sequitur.

REGULÆ,

Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ.

SS. D. N. D. CLEMENTIS Divinâ Providentiâ Papæ XI.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus CLEMENS Divinâ Providentiâ Papa XI. suorum Prædecessorum vestigiis inherens, normam, & ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum suæ Assumptionis die summus Apostolatus apicem, videlicet, die vigesima quarta mensis Novembris Anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo, Reservaciones, Constitutiones, & Regulas infra scriptas fecit, & quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Petrus S. Laurentii in Damaso Cardinalis Ortoponus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius die decima quarta Decembris in Cancellaria Apostolica publicari fecimus.

Reservaciones generales, & Speciales.

I. In primis fecit easdem Reservaciones, quæ in Constitutione sel. recor. Benedicti PP. XII. quæ incipit, Ad regimen, continetur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiam Officialia in eadem Constitutione expressè Apostolicæ Sedis Officialia ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officialia erant, obtinebant. Declarans nihilominus Beneficia, quæ dictæ Sedis Officialia, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notariarum, etiam dimissis ipsis officiis, & quandounque assccti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem præ mem. Joannis PP. XXII. quæ incipit, Execrabilis, vacant, vel vacare contigerint, quam Constitutionem, & Reservacionem SS. tam ad Beneficia obtenta, quam alia quæcunque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & disponunt in futurum, extendit, & ampliavit, & etiam Beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, &c.

Reservatio Cathedralium, Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac de tempore vacationis Episcopatum, vacaturorum Beneficiorum.

2. Item reservavit generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria Virorum, valorum annuum ducentorum florenorum auri communi estimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, & imposterum vacatura. Et voluit quod excessus hujusmodi in litteris expressè primatur. Ac etiam reservavit Dignitates, & Bene-

Beneficia omnia ad collationem, praesentationem, electionem, & quancunque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcunque Collatorum, & Collatricum saecularium, & regularium quomodolibet (non tamen ad Collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius praesentationem, vel electionem pertinentiam) quae post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocunque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolica auctoritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem quomodocunque vacaverint, & vacabunt in futurum. Decernens irritum, &c.

Extensio reservationis Beneficiorum per affectuonem pacificam vacatorum.

3. Item, si qui de beneficiis Ecclesiasticis praesentiam curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant Apostolica auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum affectuonem alia cum eisdem incompatibilia Beneficia Ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suae resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit, & declaravit, quod si impostero quibusvis personis de aliquibus beneficiis Ecclesiasticis, tunc vacantibus, seu vacaturis per Sanctitatem suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque providendos intra vacationis, & provisionis, seu affectuonem eorumdem Beneficiorum tempora, quancunque alia cum illis incompatibilia Beneficia Ecclesiastica saecularia, vel quorumvis Ordinum, ac etiam Hospitalium, Regularia per eos tunc obtenta nulla speciali, & expressa de eisdem in provisionibus praedictis facta mentione, simpliciter, vel causa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis suae, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum Collatorum quorumcunque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & singula concessionem, collationem, provisionem, & quavis alia dispositionem de Beneficiis, seu juribus sic resignandis, dimittendis, & cedendis pro tempore faciendae cum inde sequutis quibuscunque cassae, & irritae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia, & jura, ut praesertur resignata, & dimissa, & cessa eo ipso vacant, ac sub reservatione praedicta, quam Sanctitas sua, etiam quoad hoc extendit, & ampliavit, comprehensa censentur. Ita quod de illis per alium, quam per eandem Sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenus disponi possit, in omnibus, & per omnia perinde, ac si per pacificam affectuonem beneficiorum aliorum hujusmodi verè, ac realiter vacavissent. Ac ulterius voluit Beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate Apostolica provisus, ac per cujus affectuonem Beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde, ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscunque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarè, simpliciter, & appellatione remota exercendis. Decernens irritum, &c. attentari.

Reservatio Dignitatum, nec non suorum, & S. R. E. Cardinalium familiarium, Beneficiorum.

4. Item reservavit generaliter dispositioni suae omnes Dignitates majores post Pontificales, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi estimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis. Reservavit etiam Prioratus, Praeposuras, Praepositatus, ac alias Dignitates Conventuales & Praepositorias generales Ordinum quorumcunque (sed non militarum) ac quancunque Beneficia, quae sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore existentem, ac S. R. E. viventium nunc, & qui erunt pro tempore Cardinalium familiarium continui comensales obtinent, & impostero obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quae jus eis competit, aut competierit, etiam si ab ipsa familiaritate pro obitu Cardinalium eorumdem, vel aliis recesserint. Declarans Dignitates, quae in Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales non majores existunt, & quae ex Apostolicae Sedis Indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine praescripta, vel aliis quovis modo in quibuscunque Collegiatis Ecclesiis principalem praeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedicta comprehendi debere. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Collectorum, & sub-Collectorum.

5. Item reservavit generaliter omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Collectorum, & Unicorum in quancunque Civitate, vel Diocesi, qui suo tempore Officia exercuerint, Subcollectorum fructuum, & proventus Camerae Apostolicae debitorum, illa videlicet Beneficia duntaxat, quae durante eorum Officio obtinebant, & in quibus, seu ad quae jus eis competit. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Curialium, dum Curia transfertur.

6. Item reservavit omnia & singula Beneficia Ecclesiastica quorumcunque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quancunque etiam ad dicta Curia remoto. Decernens irritum, &c.

Reservatio Beneficiorum Cubiculariorum, & Curiorum.

7. Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suae omnia Beneficia Cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac Curiorum suorum, declarans in Praedecessorum suorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Regulis reservatoris Beneficiorum Cubiculariorum, etiam Cubicularios honoris nuncupatos, etiam a die eorum editionis, & publicationis intelligi, & comprehendendi, ac comprehensos fuisse, & esse. Irritumque, &c. attentari Decernens.

Reservatio Beneficiorum Ecclesiarum S. Joannis Lateranen. & S. Petri, ac Beatae Mariae Majoris de Urbe, & Beneficiorum Titulorum Cardinalium ad Curia absentium.

8. Item

8. Item reservavit dispositioni suae generaliter quoscunque Canonicatus, & Praebendas, ac Dignitates, Personatus, & Officia in S. Jo. Lateranen. & Principis Apostolorum, ac Beatae Mariae Majoris de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, & praesentationem, seu quancunque aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium ad Romanam Curiam absentium ratione suorum Episcopatum Cardinalium, ac ipsorum Cardinalium Titulorum, & Diaconiarum Ipestantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, Canonicatus, & Praebendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, & officia, caeteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura vacantia, ac in antea vacatura, tam in eadem Urbe, quam in Ecclesiis, Civitatibus, ac Dioecibus dictorum Episcopatum consistencia, ac decrevit irritum &c.

Reservatio mensium Apostolicorum, & Alternativa pro Episcopis residentibus.

9. Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus Clericis, & aliis bene meritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, saecularia, & quorumvis Ordinum regularia quancunque qualificata, & ubicunque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suae voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam aliam, quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, & quancunque aliam dispositionem quorumcunque Collatorum, & Collatricum saecularium, & quorumvis Ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscunque alios intus, & per eos, qui illa acceptare, & observare debebant acceptatis, & observatis, quae laedere non intendit, comprehendendorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supradictis Beneficiis, seu concessionibus gratiarum, quae de dictis Beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fieri, de mense, in quo vacaverint, dispositionem mentionem fieri; alioquin gratias nullas esse, ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Praebendas, nec non privilegia, etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam dispositioni de hujusmodi Beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis, quarum tenores pro expressis haberi, & latissime extendi voluit quibusvis personis, & Collegiis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis & conditionis existentibus quomodolibet concessa adversus Reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Dioeceses suas verè, & personaliter residerint duntaxat de omnibus, & quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura saecularibus, & regularibus (ad liberam ipsorum duntaxat non autem aliorum cum eis dispositionem, seu praesentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, vel interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus) quae in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

dispositioni Apostolicae reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem tempore sui Pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Junii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quae etiam dispositioni suae, ut praesertur, reservavit) seu etiam aliorum, dispositioni suae, & dictae sedis alias quomodolibet reservatorum, vel affectuorum se intromiserint, aut quod minus provisiones, & gratiae Sanctitatis seu de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quocunque praestiterint, usu, & beneficio praedictae facultatis, eo ipso privati exstant, ac collationes, & aliae dispositiones de Beneficiis illius praetextu deinceps faciendae nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativè praedictae acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscripitas, suoque sigillo munitas, & in sua quilibet Civitate, vel Dioecesi datas declarare, & literas ipsas huc ad Datariam Sanctitatis suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, & non antea nisi incipiant gratia supra dicta. Insuper declaravit, quod si idem Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocunque unitis ex Apostolica concessionem, & dispensationem quomodocunque praestiterint, teneatur hujusmodi alternativè gratiam quatenus ea potiri velit; utriusque Ecclesiae nomine explicitè acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem, & admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi condictione consensu ab ea recedere. Declarans praeterea exceptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, & indultum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consorcii juxta declarationem fel. rec. Urbani PP. VIII. Praedecessoris sui editam die decima Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in praemissis omnibus per quoscunque &c. judicari debere, ac irritum &c.

De literis in forma, Rationi congruis, expediendis.

10. Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. rec. Innocentium Duodecimum Praedecessorem suum, & de ejus mandato expediantur in forma Rationi congruis &c. quod die Coronationis suae, ut moris est, & idem quoad concessa per praed. mem. Alexandrum Octavum etiam Praedecessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die Coronationis incipiendos observari voluit.

Declaratio Reservationis Ecclesiarum, & Beneficiorum per Praedecessores reservatorum.

11. Item declaravit omnium, & singularum Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum provisiones, quas praedicti Praedecessores sui, ordinationi, & dispositioni eorum, nec non omnia, & singula Beneficia Ecclesiastica, quae dicti Praedecessores etiam praedictae dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quae quidem Ecclesiae, Monasteria, nec non sic reservata Beneficia tempore obitus eorumdem Praedecessorum vacabant, aut Ecclesiae ipse, vel Monasteria hujusmodi, si commendata, vel eis Administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse, & remanere

per hujusmodi reservationem, & Decretum affecta, nullumque de illis præter Romanum Pontificem ea vice se intrinicare, vel disponere potuisse sive posse quoquo modo. Decernens irritum, & inane, si quis super illis attentatum forsitan erat tunc, vel imposterum contingeret attentari.

Revalidatio Litterarum Prædecessoris Gratia, Justitiæ infra annum concessarum.

12. Item prædictus D. N. omnes, & singulas ab Innocentio XII. Romano Pontifice prædecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas Gratia vel Justitiæ litteras temporibus debitis eorum executoribus, seu Judicibus non præsentatas omnino revalidavit, & in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit per executores, seu Judices prædictos, vel ab eis Subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse, & debere juxta illarum formam.

Revocatio Unionum.

13. Item rationabilibus frudentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporaciones, suppressiones, extinctiones, applicationes & dismembraciones, etiam perpetuas, de quibusvis Cathedralibus, nec non aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personaribus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis, eorumque domibus, prædiis, & locis per cessum, vel decessum, aut aliam quamvis dissolutionem, vel amissionem qualiacunque fuerint invicem, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Mensis etiam Capitularibus, Dignitatibus, Personaribus, officiis, Beneficiis, ac Pius, & aliis locis, Universitatibus etiam studiorum generalium, & Collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis per eos obtentis quomodolibet Apostolica, vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum Piorum, & Religiosorum locorum ad fidei Catholicæ defensionem, & propagationem, bonarumque artium cultum institutorum) factas, quæ suum non sunt fortitæ effectum: Ac quæcunque concessiones, & mandata super unionibus, annexionibus, incorporacionibus, & aliis præmissis alteri faciendis, revocavit, cassavit, & irritavit, nullisque decrevit existeri firmitatis. Nec alicui quascunque clausulas, vel adjectiones, aut decreta, quæ Sanctissimus sua pro expressis haberi voluit in quibusvis Apostolicis etiam quæ Motu proprio, aut ex certa scientia, & consuetudine processerunt, & emanarunt litteris, etiam si eis decretum esset illas ex tunc effectum fortitas esse, aut jus quæsitum foret quomodolibet contentæ adversus revocationem, irritationem hujusmodi voluit aliquatenus suffragari. Decernens irritum &c.

Revalidatio facultatum quibusvis concessarum.

14. Item revocavit quascunque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatibus, & Personis, nec non Apostolicæ Sedis Nunciis, ac fructuum, & provenientium Camera Apostolicæ debitorum Collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super Matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium, & ætatis defectibus,

& de incompatilibus Beneficiis Ecclesiasticis insimul retinendis, nec non de Notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, & aliis præmissis officia ipsorum Nunciorum, & Collectorum directè non concernentes, etiam si in litteris de super confectis sint clausula restitutoria, & derogatoriarum derogatoria, & aliæ efficaces, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipse non sunt fortitæ effectum, etiam si Nunciis eidem, dictæ Sedis Legatis de Latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, &c.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

15. Item revocavit quascunque facultates, & litteras desuper concessas, per quas quæcunque sui Prædecessores Romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum de jure, vel consuetudine habentibus, & quavis etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia dignitate, vel alia non tamen Cardinaliæ honore fulgentibus quavis consideratione, vel intuitu etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, seu Monasteriis præessent, aut ad aliud tempus de beneficiis Ecclesiasticis generaliter reservatis, seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem committere, vel divisim spectantibus disponere libere, & licite valerent, aut etiam ad id per eisdem Prædecessores Vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum, & inane &c.

De dictionibus numeralibus.

16. Item ut in Apostolicis litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio voluit, & ordinavit, quod dictiones numerales, quæ in dictis litteris ante Nonas, Idus, & Kalendas, immediate post confluxerunt, per litteras, & syllabas extensæ describantur, & illæ ex prædictis litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad Bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in Data.

17. Item voluit, quod de concurrentibus in data ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratia Motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliis graduati non graduati, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, nec non colorato titulo possessores, non possessoribus, ac inter personas aliis in Curia præsentibus, absentibus ab ea, ac inter præsentibus non beneficiatis beneficiatis, & similiter inter absentes, cæteris partibus oriundis non oriundo, & Diocesanis, in reliquis vero singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras eorum executoribus præsentaverint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum affectione præferantur.

De non tollendo Jus quæsitum.

18. Item, nec per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis in causis plerumque sunt suggestiones, Justitiæ postponatur. Idem D. N. decrevit, & declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quancunque Signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiam si Motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate Sua emanaverint, vel de jure mandato faciendas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

Regula de Vigniti.

19. Item voluit, quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia, sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliis dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit etiam vigore supplicationis, dum esset sanus signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum resignantem præstanti consensu computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum beneficium, quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsiusque beneficium nihilo minus per obitum censeatur vacare.

De Idiomete.

20. Item voluit, quod si contingat tam in Curia, quam extra, alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio beneficio exercitum curatæ animarum Parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat idioma, ubi Ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, & gratia desuper quoad Parochialem Ecclesiam, vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris, vel momenti. Decernens irritum, &c.

De non impetrando Beneficium per obitum viventis.

21. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque tanquam per obitum alicujus, licet tunc viventis, vacante provideri, & postea per obitum ejus vacet: provisio, & quævis dispositio etiam vigore alterius novæ supplicationis, vel gratiæ dicto supplicanti per obitum hujusmodi de novo faciendæ nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus, & unionum confirmatione.

22. Item voluit, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annum valorem secundum communem estimationem, tam beneficium unendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valet, & semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum intereat: Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembracionibus, & applicationibus etiam de quibuscunque fructibus, & bonis Ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singulariumque dispositionum hujusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23. Item de Mendicantibus transferendis, qui alios Ordines transferunt pro tempore, voluit Constitutionem sel. record. Martini Papæ V. Prædecessoris sui desuper factam, & in libro Cancellariæ Apostolicæ descriptam, quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis &c.* firmiter observari.

De malè promotis.

24. Item de Clericis extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut abique dimissionis litteris ad Sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit Constitutionem piæ mem. Pii Secundi similiter Prædecessoris sui desuper editam, & in d. Cancellariæ Apostolicæ libro descriptam, quæ incipit, *Cum ex Sacrorum Ordinum &c.* pari modo observari.

De Monetæ.

25. Item declaravit idem Dominus Noster, quod libra Turonenfium parvorum, & florenus auri de Camera pro æquali valore in concernentibus litteras, & Camera Apostolicam computari, & estimari debeant.

De Beneficiis vacantibus per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

26. Item prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, & ordinavit, quod quæcunque concessiones, gratiæ, & mandata etiam Motu proprio, & cum derogatione hujus Constitutionis, quæ ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcunque, ad Ecclesiarum, & Monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones, & mandata diem promotionis promotorum ipsorum præcellerint, nec non quæcunque collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibusvis aliis beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis ubicunque resignari, vel aliis dimitti contigerit cum inde sequitis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nullisque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. Item cum ante confessionem litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quod Judices in Romana Curia, & extra eam pro tempore existentes, etiam si sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditoribus, vel quicunque alii non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones justitiam concernentes per Placet, vel per S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum super eisdem impetrationibus, & confessionibus consecrarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens irritum &c. Et si litteræ ipsæ per præoccupationem, vel aliis minus bene